AB
…960

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0001-8

00 7619
LB: 00 7619

Sammelbd 4

12 Alphab. 9 Bogen 2 ½ 15.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0002-3

Hiſce pauculis,

Virum Per Reverendum, Clariſſimum,

DN.

M. SAMUELEM LANGIUM,

Pegavienſium Superintendentem digniſſimum,

Summos

in SS. Theologia prenſandi honores

LICENTIAM,

6. Julii, 1643.

In Illuſtri Lipſienſi

reportantem,

LEGE GELLIANA

proſeqvuntur

Fautores-Amici.

LIPSIÆ, Typis hæred. FRIDERICI LANCKISCH.

11c

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0003-9

IN HÆRESIN ARIANAM.

QVid muginaris noctuina? qvid fremis?
Damnasq; longi ſacra turbas Tartari
Bellum recentans? Pone, pone verticem,
Sæviq; mitte pectoris minacias,
Ni grande nobis debeas ludibrium,
Domi coactis *Noſter* ecce! viribus
Inſtaurat agmen, inq; primos irruit
Pilos *licenter.* Signa ferri num vides,
Diumq; ſtigma, qvale caſtra terruit
Maxentiana? Nempè *Victor hoc cluet!*
At defetiſcit Gorgone hâc viſâ ſcelus,
Sellasq; præ timore qværitat patris,
Væ me! ſubinde Claudianum clamitans.
Res ſalva, LANGI! Perge nobis & tibi:
Multum trecenti bis novenis additis
Poſſunt, figuram noveris ſi myſticam,

fac.

M. Fridericus Rappolt S. Th. Bacc.
& Sch. Thom. Con-R.

HIc tuus eſt Schemuel qvo tu damnabere votis
Caſtrum? Qvod Picæ bina fluenta rigant.*
Hic tuus eſt Schemuel, cathedræ ſucceſſor avitæ
Tam gravis hic vitâ, qvàm fuit autor Avus.

Cedit

Cedit Avus, cathedram dat Pega, Licentia ſuprâ
Adſtruit alta gradûs; triplice jure ſubi.

* In chronico manuſcripto vetuſto, & aliis monimentis Monaſterii ad D. Jacobum hoc oppidum vocatur Pycavia & Pygavia, utiq; à fluvio, qvi indidem Pyca, procul dubio ad vernaculum die Elſter/ dicitur, qvod jamdudum notavit antiqvitatum Saxonicarum ſcientisſimus, magnus ille Fridericus Hordlederus.

εἰς τέκνον ſcripſit

M. J. Strauch/ Fac. Phil. Aſſeſſ. & in Maj. Principum Collega.

LAngi, patritæ, ſi fuit, vel eſt qviſqvam,
Virtutis hæres, ecqvibus Tui patris
Senile pectus gaudiis inundari,
Qvùm te tuetur æmulum ſui, credam?
Qvid? ipſa Lipſis æqvius ſuas poſthac
Feret ruinas, ſi parentibus claris
In liberis parata poſthuma eſt vita.

ἐσχεδίασε

M. Chriſtian-Fridericus Franckenſtein.

QVisqvis in Aoniis deſudat gnaviter antris,
Si modò perdurat, præmia certa refert.
Sæpe laboriferum fallunt ſua vota colonum:
Sæpè ferox laxis caſſibus exit aper:
Nec ſemper tremulo piſcis retinetur ab hamo:
Nec ſemper poſitis retibus hæret avis:

At

At qvi Pierii colit arva feracia campi,
Qvæ metat exacto tempore, ſemper habet.
Eſto pius, vigilans, ſtudiisq; intentus honeſtis,
Non potes in ſterilem mittere ſemen agrum.
Adſpice (ſi forſan dubitas) exempla Bonorum,
Adſpice præſtantes, lumina magna, Viros.
Nempe fatebuntur conſtanti protinus ore,
Dicere me Tripodis non leviora fide.
Qvid verbis opus eſt? eadem teſtaris abundè.
LANGI, Theulogici gloria magna chori.
Tu qvoq; Caſtalidum coluiſti ſedulus hortos,
Utilis ad nitidæ gymnadis omne genus.
Qvicqvid in omnigenis latet haud-vulgare libellis,
Eruit ingenii vis operoſa tui.
Ut taceam doctas, qvas noſti, Palladis artes.
Ut taceam ſolidæ mentis opes reliqvas.
Æmulus hinc patrii ſtudii, nec degener oris,
Cœpiſti Euſebies *caſtra gregemq; ſeqvi.*
LEUCORIS hoc vidit, teq; eſt complexa favore,
LEUCORIS ingeniis non inimica bonis.
Nec minùs HELMSTADIUM tantæ præconia laudi
Addit, & eximii qvotqvot ubiq; viri.
Inde domum rediens felici doctior aſtro,
Tractâſti ſtudio dogmata ſacra pari.
Nunc tibi meſſis adeſt: nunc ô CLARISSIME LANGI,
Præmia confecti juſta laboris habes.

Te ſibi ſupremum Myſtûm *Pegavia legit*,
Maternum *ſeqveris* (*pars qvota laudis?*) Avum.
Jam qvoq; Theulogicos *Philure tibi donat* honores,
Per qvos ad Summum ſcandere jure Licet.
Qvod ſupereſt, Cytheréa *dabit Junone ſecundâ*,
Hæc etiam eſt votis non minus æqva tuis.
Sorte tuâ lætare diu *Feliciter*, *opto:*
Ulterius qvicqvam nemo vovere poteſt.

συγχαρμοσύνης ἕνεκα
f.
M. Benjamin Stolbergius, SS.
Theol. Studioſus.

MAgnum eſt, & multâ dicendum laude, Parentes
Hos atq; hos numerare, ſacro qvibus Ordine fungi,
Atq; datum, ſummi vigilaſſe ad ovilia Chriſti.
Majus, & hos recitare in Avis, ſangvénq; remotũ
Ducere ab hiſce, & ad hos: longásq; per atria ceras
Exhibuiſſe: Meus Proavus fuit ille: ſed iſte
Qvondam Avus: hic Pater eſt. omnes de gente fideli
Præclarè meriti. Sancti ſalvete Parentes!
Maximum ab his, Patrum pariles inſiſtere greſsûs,
Et ſancta hæc eadem Studia excoluiſſe, per omnes
Sicq; adeo numeros clypeis inhiare paternis.
Anne ſed & *Qvartus* dabitur *Gradus*, Orbili, ad iſtos?

Fortè

Fortè negas? Ego ſumo tamen: qvæcunq; reclames.
Majus adhuc etiam, ſuccedere in Ordine Avito,
Unam & eandem etiam Spartam exornare: & in omni
Parte Patrum titulos dignâ exambire tiarâ.
Primus Te, LANGI, *Gradus* hic habet: ipſe *Secundus*:
Tertius idem etiam. *Qvartus* qvòd jungitur illis,
Summa ferè hoc, LANGI, ſuperat faſtigia laudum.
Plura DEUS tribuat! mea pergere vena recuſat.

M. Theophilus Colerus.

I.

LONGIOR evadis LANGI, titulosq; minaris,
Qvos ſtudium & pietas promeruère diu.
Civica ſervato pro Cive Corona dabatur:
Ut ſerves animas, ſancta corona datur.
Anticipat. Signum Paſtoris dicite Cives:
Plaudite. Sic ſplendor, famaq; perpes erit.

II.

Et tamen in bello ſtudet, atq; meretur honores
LANGIUS? In bello Clericus iſte fuit.

III.

Vulcano aſſignat Capitolia Sextus JulI,
Ut ſervi arbitrio Sylla trophæa ferat.
Fallor, an hinc noviter Romana palatia nutant,
Ut victor Papæ LANGIUS eſſe qveat.

M. Caſparus Ziegler.

FINIS.

AB: 101960

ULB Halle 3
005 374 510

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0011-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0012-9

Hiſce pauculis,

Virum Per Reverendum, Clariſſimum,

DN.

M. SAMUELEM LANGIUM,

Pegavienſium Superintendentem digniſſimum,

Summos

in SS. Theologia prenſandi honores

LICENTIAM,

6. Julii, 1643.

In Illuſtri Lipſienſi

reportantem,

LEGE GELLIANA

proſeqvuntur

Fautores - Amici.

LIPSIÆ, Typis hæred. FRIDERICI LANCKISCH.

11C

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-574284-p0013-4